

cessitate factum suum retractare, mutata & expuncta emendare coactus est. Quod verò *Lutherus* hac in parte cum *Philippo* colluserit, nunquam probabit *Hospinianus* ex Theandri istius monumentis. (2.) *Confessionem* opus habuisse emendatione propter dogma *Transsubstantiationis*. Sic *Wolffius*. Nugæ aniles! ubi enim in invariata C. A. dogma *Transsubstantiationis* vel minimo jota asferit, ostendat hoc, & herbam ei porrigemus. Nullo igitur prætextu palliare possunt adversarii commentum illud, cum dicunt Protestantes in eam mutationem consensisse. Namque privato unici *Philippi*, qui in negotio hoc aliquid humani passus est, arbitrio omnia ista confecta sunt. Vix causam? certè ea nulla alia est, quam clancularius favor erga sacramentaria factionis fraterculos, in quorum gratiam talia commisit. Hinc *Calvinus Genevensis* in defens. secund. cont. *Westph.* disertè ait, se nihil in controversiâ sacramentariâ dissidere à *Philippo*. Quod si *Calvinus* jactans consensum *Philippi* mentitus fuisset, utique decuisset *Philippum* non post eata recta latere, sed publico scripto disensus suum à *Calvino* testari, ne Sacramentarius, qui sub ejus auctoritate, velut larva latebat, indies latius serperet. Vide *Theodosium Fabricium* in *Historia Sacramentaria*. Lege præterea *Augustanæ Confess.* *Historiam* autore *Chytræo*, itemque *Historiam Aug. Conf.* editam à *Theologis*, ad eam rem delectis, contra adulterinas narrationes *Ambrosii Wolffii*, edit. *Lips.* 1585 Anno, ut & *Cent. 16. Historiæ Ecclesiasticæ*, continuatore *Osiandro*, ubi ab anno in annum quid obtigerit, descriptum reperies.

APOLOGIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONIS BREVIS HISTORIA, ET REPETITIO.

Fuerat *Confessio Augustana* publicè prælecta, ubi *Theologi* quidam ac *Monachi* refutationem ejusdem adornare moliri sunt, quam cum *Cæs. Majestas* curasset, etiam in confesſu Principum prælegi, postulavit, ut illi confutationi assentirentur omnes.

Principes autem, quia audierant multos articulos improbatos esse, quos abjicere sine vulnere conscientiæ non poterant, rogaverunt, sibi exhiberi Exemplar confutationis, ut & videre, quid damarent adversarii, & rationes eorum pensitare possent; sed non potuerunt

tuerunt